24

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
PARTU CÆSAREO

QUAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
WILHELMO HENRICO
DUCE SAXONIÆ JULIACI CLIVIÆ MONTIUM
ANGARIÆ WESTPHALIÆ
ET RELIQUA
PRÆSIDE
JO. HADRIANO SLEVOGTIO
HÆREDITARIO in Ober=Roßla
MED. D. ANAT. CHIRURG. & BOT. P. P. ITEMQUE MEDICO
DUCALI PROVINCIALI
PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO
MAXIME COLENDO
PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA
MAJORUM MORE RITE CAPESSENDI
PUBLICO PHILIATRORUM EXAMINI
SUBMITTIT
FRIDERICUS WILHELMUS JACOBS
GOTHANUS
LOCO HORISQUE CONSUETIS.
JENÆ D. XXVII MARTII M DCC IX.

JENÆ
LITTERIS GOLLNERIANIS.

ILLVSTRISSIMO ATQVE CELSISSIMO
COMITI AC DOMINO

DOMINO

LVDOVICO FRIDERICO

SACRI ROMANI IMPERII QVATVORVIRO
COMITI SCHWARTZBVRGI ET HOHEN-
STEINII DYNASTÆ ARNSTADII SONDERS-
HVSÆ LEVTENBERGÆ LOHRÆ ET
CLETTENBERGÆ

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

ILLVSTRISSIME AC CELSISSIME COMES AC DOMINE

DOMINE CLEMENTISSIME

TEnues, quas hic vides pagellas, ad pedes TVOS deponi patiaris, non argumenti fiducia fretas, ſed unice TVA clementia nixas: ab hac, num lucem aliquam ſint conciliaturæ, a gratia & comitate TVA dependet. A gratiis omnibus alienum me profiterer merito, niſi TVA, *ILLVSTRISSIME COMES*, *SERENISSIMÆQVE CONJVGIS*, *ANNÆ SOPHIÆ DVCIS SAXONIÆ* &c. *DOMINÆ MEÆ CLEMENTISSIMÆ*, in me meosque collata inſignia beneficia grato pectore agnoſcerem. Unicum inſtar omnium ſufficiat, quod tant

Prin

Principe ſponſore fidei, ex ſacro baptismatis fonte levatus, majus aut expetere, aut deſiderare haud potuerim: meum ſane eſt, humillima recordatione & deprædicatione hoc extollere, ac gratiſſima mente recolere.

Quanta humanitate, comitate & amore in literas, & qui hiſce operam navant, ſublimis TVÆ dignitatis ſplendor temperatus ſit, notiſſimum iis, quibus gratiæ TVÆ radiis ſerenari licuit & adhuc dum licet. Palladium ſtudiorum ac Deum tutelarem, cultores eorundem TE, *ILLVSTRISSIME COMES* agnoſcunt, in TE *MÆCENATE CELSISSIMO* exultant: ſub alis enim TVIS aluntur, proteguntur, ſub umbone *CELSITVDINIS TVÆ* foventur & florent.

Accipe, humillime precor, *ILLVSTRISSIME COMES*, has pagellas, ceu munuſculum levidenſe, teſſeram tamen certiſſimam devotiſſimi animi: quæ, ut ſereno vultu accipiantur, eſt quod ſubmiſſiſſime rogo. Exiguum equidem fateor, pro inſignibus in me meosque parentes per *TE, ILLVSTRISSIME COMES, SERENISSIMAMQVE*

CONJVGEM collatis beneficiis, ut rependam non ſuppetit aliud, præter vota ac preces. Felicitas perennans maneat *ILLVSTRISSIMAM* ac *CELSISSIMAM TVAM DOMVM*, Imperatorio culmine olim dignam. Vive *ILLVSTRISSIME COMES*, cum *SERENISSIMA CONJVGE, CELSISSIMAQVE FAMILIA.* Vive in ornamentum orbis, ſubditorum ſolatium, ſtudiorum præſidium. Deus in ſeros usque annos incolumes VOS ſervet, inconcuſſam valetudinem, affluentiam omnis boni concedat! Rata vota eſſe jubeat ſummus rerum arbiter! Quod animitus voveo

CELSITVDINIS TVÆ

humillimus & devotiſſimus ſervus

FRID. WILHELMVS JACOBS.

PRO-

Q. D. B. V.

PROOEMIVM

MIſeriis, tanquam vallo mortales cincti ſunt, & plerique eorum, ab ætate ineunte, per totius vitæ curriculum, variis morborum generibus divexantur. Quamvis autem nulla ætas aut ſexus inde excipiatur; ſequioris tamen, ob formam corporis, ejusque teneritudinem, utplurimum commendabilis, conditio deterior videtur: quod præter morbos, quos cum viris communes habet, affectibus inſuper graviſſimis, ex utero & conſervatione humani generis provenientibus, ceu ſibi propriis, corripiatur. Sicut enim haud exigui momenti eſt, curare, ut fœtus ad debitum maturitatis tempus in formationis ſuæ loco cuſtodiatur: ita maximus

ſubinde

ſubinde requiritur labor, eundem ex ergaſtulo ſuo liberare, & ad vitales auras producere, ut & mater & infans incolumes ſerventur. Quippe accidit non raro, ut propter embryonis, aut parturientis præternaturalem ſtatum, hæc, una cum obſtetrice, inter ſacrum & ſaxum, ut ajunt, verſans, cum neque a medicamentis, neque nudis chirurgi manibus ſibi auxilium reliquum ſit, ad *ferrum ventrisque ſui diſſectionem* confugere cogatur. Cuncta enim ſuſcipienda ſunt, ut vita conſervetur, & dubium remedium in caſu ancipiti experiri præſtat, quam certiſſimum vitæ periculum incurrere. Vocant medici ejusmodi operationem PARTVM CÆSAREVM: cujus ventilationem in præſentia, *ſpeciminis inauguralis* loco, exponere placuit. Cum enim ea, utpote primo intuitu terroris plena exiſtens, hactenus a noſtratibus rariſſime in uſum vocata fuerit, in Gallia vero, Rouſſeto teſte, admodum uſitata, imo ſecundum Scipionem Mercurium, libro de Obſtetricibus, part. 2, c. 28, p. 455, tam communis ibidem ſit, quam apud Italos venæſectio in cephalæa eſſe conſuevit, dignaque omnino videatur, ut ubique terrarum frequentius uſurpetur: ideo opportunum cenſuimus oſtendere, plus metus in ea quam periculi, hujusque nullam rationem habendam eſſe, ubi vel fœtus vel mater, vel ambo mortis faucibus eripi debent. Quod ipſum ut ſemper feliciter eveniat, ſerio optantes, ſummum Numen devotis precibus invocamus, ut ex alto benedicat conatibus noſtris, eosque in ſui nominis gloriam & proximi ſalutem cedere jubeat.

§. 3

§ I. PARTVS CÆSAREVS a cæſione nomen habet, unde *Cæſares & Cæſones*, German. Auſchnittlinge vocantur, qui ex utero inciſo protrahuntur. Utuntur igitur tautologia, qui *ſectionem cæſaream*, Germanis den Keyſer-Schnitt/ inter ſynonyma ejusmodi operationis referunt; ab illis decepti, qui Julium, Romanorum imperatorem, quod ex mortuæ matris cæſo utero natus eſſet, Cæſarem appellatum perhibent: ignari, dudum ante ipſum, non ſolum a Plinio, Hiſt. Nat. Lib. VII, cap. 9, Scipionem Africanum majorem primum Cæſarem ex hac cauſa dici, ſed etiam multis ex Julia gente idem cognomen familiare, matremque imperatoris Aureliam, cum filius quadrageſimum octavum ætatis annum ageret, demum mortuam fuiſſe. Rectius igitur per *exſectionem fœtus*, & *extractionem per latus uteri*, Germ. Die Seiten-Geburth/ Ausſchneidung der Frucht aus Mutterleibe/ varietatem loquendi amantibus ſatisfit.

§ II. Cum Græcis antiquis, quantum nobis conſtat, negotium hoc nondum innotuerit, hinc nullum ejus nomen apud ipſos legimus, eſtque ἡ ὑστεροτομοτοκία vocabulum novum, a modernis introductum; cujus triplicem ſignificationem invenimus. *Prima* & *minus proprie* dicta eſt, quam ἐμβρυουλκίαν vocant, quando fœtus mortuus, propter magnitudinem corporis ſui, aut ſitum pravum, vitiumque matris, nec per hujus conatus excludi, nec nudis obſtetricis manibus integer educi poteſt, ſed intra uterum, per ἐγκατατομὴν ἐμβρύου Hippocratis (non tantum Tom. 2, edit. Lind. p. 662, ſed etiam lib. de ſuperfœt. cap. 5, p. 646, & lib. 1, de morb. mul. cap. 96, p. 483, legendam) ope inſtrumentorum diſcer-

ptus, fruſtillatim per utrumque matricis oſtium protrahitur. *Altera*, ad noſtrum inſtitutum magis pertinens, eſt, cum ex *matris mortuæ ventre*, fœtus adhuc vivens exſecatur, & ſic ab inſtante morte liberatur. *Tertiam* ſpeciem illa conſtituit, qua fœtui ex *viventis matris ventre* per cultrum exitus paratur.

§ III. Quod primam harum attinet, vilipenditur equidem illa a nonnullis, quaſi ejusmodi ἐγχείρησις, ex ovili in chirurgorum officinas venerit. Aſt, ſicut nemo temere venæ ſectionem, aut vomitoria clysmataque contemſerit, quod, ut vulgo fertur, ejusmodi remediorum analogia a brutis deſumta, in hominum utilitatem converſa ſit: ita ἐμβρυουλκία adeo neceſſitate, vitam parturientis conſervandi, ſeſe commendat, ut in defectu chirurgorum, ultra barbætonſuram artem ſuam callentium, medicus obligetur, ad imitationem veterum, manum operi admovere, eoque ipſo χαρίεργον ſe exhibere.

§ IV. Nec minoris conſiderationis altera cenſenda venit, priori longe tutior faciliorque: nullo quippe gemitu aut ejulatu ſubjecti, operationem ſuſtinentis manum ſecantis remorante. Cui inſuper ſevera Legislatorum voluntas accedit, qua Digeſt. Lib. XI, T. 8, l. 2 *de mortuo inferendo & ſepulchro ædificando*, prohibetur, prægnantem mortuam, antequam partus exſcindatur, humari, & is necis damnatur, qui contra fecerit: quod ſpem animantis, cum gravida peremiſſe videatur.

§ V. Ubi ſilentio haud prætereundum eſt, temporibus antiquiſſimis jam talem ſectionem innotuiſſe. Teſtis eſto Virgilii verſus, ex lib. 10 Ænæidum:

Inde Lycam ferit exſectum, jam matre perempta.

Æſcu

Æſculapium itidem ex utero matris Coronidis, a Diana interemtæ, ab Apolline, inciſionis ope, extractum fuiſſe, memorat Ovidius, L. 2, Metamorph. & Natalis Comes Mytholog. L. 4, cap. 11, eodemque modo, præter Scipionem, § I citatum, Manlium quoque, expugnatorem Carthaginis, utero exciſum, Plinius l. c. teſtatur. Sic Burcardum, Comitem de Linzgau, Gebhardum Epiſcopum, & alios plures lucem hanc aſpexiſſe, annales perhibent. His addimus ex recentioribus hiſtoriam, ex Selenianis Auguſtalibus Joann. Valentini Andreæ, quam ipſius autoris verbis apponere placet. Goppingæ, menſe Aprili, anno 1647, mulierem gravidam, cum ſe partui vicinam ſentiret, cupido inceſſit, priusquam dolores partus experiretur, potu fontis acidi, qui ibi celebris eſt, ſe reficere: Ad quem egreſſa, obviam habuit ex peditibus Ducis Turennii, graſſatorem unum, qui, nihil irritatus, ſcelerata libidine, innocentis caput ſclopeto transverberavit. Interea loci chirurgus, Bleſſingius, matris uterum ſecuit, gemellosque pueros ſalvos extraxit, qui, ipſo Duce fidejubente, ſacro luſtrico tincti ſunt. Unus quidem haud diu ſupervixit, alter vero adhuc vivit. Sic etiam Mathæus Gothofr. Purmann, in Chirurgia curioſa, part. 2, cap. 10, ſe ex utero fœminæ mortuæ vivum fœtum maſculum ſectione extraxiſſe, gloriatur. Hactenus Andreæ.

§ VI. His facile plura exempla adderemus, ſi rem clariſſimam iisdem illuſtrare opus eſſet. Hinc in genere ſaltem de hac & duabus reliquis operationibus monendum ducimus, in tempore eas & mature inſtituendas eſſe. Sicut enim in *prima*, ex putrefacto embryone, corruptio uteri, febris, motus convulſivi & matris interitus imminent; ita quoad *ſecundam* vix poſſibile vide-

tur, extincto calore vitali matris, fœtum diu ſine noxa in ea ſalvum perſiſtere poſſe: uti Rouſſetus de partu Cæſareo, Rodericus a Caſtro de Morb. mulierum, L. 4, cap. 3, & alii monent. Quamvis enim is propria vita gaudere dicatur, vix tamen propter moram longiorem, in utero defunctæ matris, ſuffocationis periculum, ob ceſſantem communicationem aëris ſanguinis materni, effugiet, quominus calore, quo antea fovebatur, deſtitutus, in atrio vitæ, vita excedere cogatur. Omnium periculoſiſſima, matrique & fœtui pernitioſa eſt tertiæ dilatio, quam καθ' ἐξοχὴν *partum Cæſareum* ſalutant; ut clarius patebit, ſi eam, ceu ἔργον noſtrum, in præſentia penitius inſpexerimus.

§ VII. Neutiquam vero operoſe primum inventorem ejus indagabimus. Altum enim apud ſcriptores hiſtoriæ medicæ de eo ſilentium eſt, & vix antiquius exemplum hujus operationis habemus, præterquam illius, quam Caſp. Bauhinus, in appendice ad Rouſſetum recenſet, in Helvetiæ pago Siegershauſen, a ruſtico in uxore ſua, anno 1500, tam felici ſucceſſu inſtitutam, ut & mater, a diuturnis partus difficilis cruciatibus liberata, & fœtus ſervatus fuerit.

§ VIII. Ex eo tempore idem experimentum ab audacioribus, calidiorum regionum Chirurgis tentatum, inque remediorum heroicorum claſſem relatum eſt, donec noſtrates quoque, ad imitationem invitati, lætabiles ejus effectus deprehenderent, quos apud eos legimus commemoratos.

§. IX. Quandoquidem autem recepta diſſertationis methodus *deſcriptionem thematis* ulteriori ejus diſcuſſioni præmittere jubet, ideo, quam dudum in perio-

di

dis ſuperioribus ſparſim tetigimus, nunc magis completam exponemus: *eſt* ſcilicet *Partus cæſareus operatio chirurgi, qua, neceſſitate urgente, abdomen & uterus gravidæ artificioſe diſſecantur, ut per vulnus fœtus extrahi, ſique adhuc vivus fuerit, cum matre ab inevitabili interitu præſervari queat.*

§ X. Genus definitionis maluimus operationem *chirurgi*, quam *in genere chirurgicam* ſtatuere; ut ſcilicet, quicunque huic operi ſe accingit, cogitet, ſe potioribus qualitatibus, a Celſo in chirurgo requiſitis, inſtructum eſſe oportere. Neutiquam vero promiſcue illos, quos hodie, relicta iſta honeſta, & ab antiquiſſima medicinæ parte derivata *Chirurgi* appellatione, vili *barbætonſoris* nomine gaudere videmus, nobilem hanc operationem ſibi arrogare poſſe; niſi ex anatomia & phyſiologia, partes abdominis integrantes, uterique ſtatum & conſiſtentiam in gravidis, una cum embryonis velamentis, & placentæ cum matrice connexionem exacte didicerint: cum, hiſce fundamentis deſtituti, & andabatarum more, manu ferroque in corpora viventia graſſantes, imprudenter, ſub ſpecie ferendi auxilii, & graviſſime lædere apti ſint.

§ XI. Quid poſt genus per *neceſſitatem urgentem* intelligamus, fuſius in ſequentibus explicabitur: cum ſub ea *indicationes* & *cauſæ morales*, Medicum vel Chirurgum, ad tanti momenti opus ſuſcipiendum impellentes, comprehendantur. Quamvis enim ſæpe contingat, ut nec pharmaco propinato, nec aliis conſuetis mediis, fœtus ad optatas auras educi queat; haud tamen ſtatim paritura derelinquenda, & cum fœtu morti exponenda; ſed omnino, monente Hippocrate, ad ultima con-

fugiendum, inque caſu deſperato grave potius, quam nullum remedium adhibendum eſt.

§ XII. Sequentia verba comprehendunt *objectum* partus cæſarei atque finem, ex quibus diſcrepantia ejus ſpecifica, ab operationibus ſupra adductis, plusque minus ipſi affinibus, noſcitur. *Objectum operationis*, ſive *ſubjectum ut quod*, in quo ſcilicet occupatio Chirurgi verſatur, eſt *parturiens*, nulla alia ratione, niſi diſſectione ſui corporis, ab embryone & mortis periculo liberanda. Quapropter ſubjectum *ut quo*, uterus præcipue, & hinc partes ipſi incumbentes, integumenta puta corporis communia, muſculique abdominis & peritonæum conſtituunt: quorum cognitionem ex anatomia ſibi comparare tenetur, qui optato ſucceſſu, hoc opus aggredi, & feliciter peragere cupit.

§ XIII. Fœtus autem, cui alias in partu, ſecundum naturæ leges promovendo, neſcio quam ἐνέργειαν tribuunt, & parturiens hoc loco prorſus *nihil agunt*, nec etiam quicquam agere debent, ne Chirurgum ſecantem turbent, cujus *internum finem* extractio embryonis per vulnus uteri & abdominis abſolvit; cum hæc in poteſtate & manibus ejus quaſi poſita ſit: conſervatio autem matris atque fœtus, quam paſſim ac recte primarium ſcopum totius operationis vocant, cujus gratia hæc inſtituitur, eſt operatoris *finis externus*; cum aliquando contingat, ut is fine hoc excidat, puerperave vel proles, vel ambo ad plures abeant.

§ XIV. Moverunt ejusmodi inauſpicati eventu non paucos, ut conatus, per hanc viam miſeris ſuccurrendi, fruſtraneos judicantes, partim ſerio ſectionem ejusmodi diſſvaſerint, partim amariſſima judicia de ii

tulerin

tulerint, qui ſimili conſilio aut opere deſperabundis gravidis auxilium promittere auſi fuerunt.

§ XV. Ad priores merito referendus B. Rolfincius, cujus verba, ex cap. 13, L. 1, Diſſ. anatomic. p. 182, excerpta, legi merentur: *Glorietur Rouſſetus ſuo arbitratu in ſectione cæſarea, & ſecuram periculi proclamet. Ego ſemel aggreſſus, infauſto eventu ita territus fui, moriebatur enim poſt quatriduum puerpera, epilepticis convulſionibus tentata, vulnere inflicto multa ſalutaria promittente; ut nunquam hanc operationem in viva ſuaderem, veritus, ne quam ſors perimere decrevit, medici manu ſublatam rumor increbreſcat.*

§ XVI. Majorem cauſam operationem hanc reformidandi, imo ut impoſſibilem falſamque rejiciendi, videtur Ambroſ. Paræus habuiſſe, poſtquam a diſcipulo ſuo, Jacobo Guillemeau, iterata vice adminiſtratæ, funeſtum effectum animadverterat. Præceptorem laudatus diſcipulus ſecutus eſt, ac propria alienaque experientia motus, opus hoc deſperatis accenſuit. Cornelius Solingen, Encheiris. Chirurg. part. 3, cap. 43, p. 351, haud obſcure fatetur, ſibi ſectionem hanc, quinquies, quatuor menſium ſpatio inſtitutam *ſiniſtre* ceſſiſſe, cum ejusmodi caſum ſerio videre optet, ubi & matre & fœtu ſuperſtite, occaſio ſibi ventrem aperiendi detur, ut etiam tunc infantem, ſumtibus ſuis educare, in ſe recipiat. Totus igitur cap. cit. & 42, pag. 336, & ſeqq. in eo eſt, ut partum cæſareum in muliere vivente fabulis accenſeat, fidemque Rouſſeti, Mercurii & Caſp. Bauhini dubiam reddens, non niſi in demortua matre, aut ubi per modum herniæ fœtus, cum utero, tanquam in ſacco extra abdomen propenderit, aut in tuba Fallopii

ſubſti-

ſubſtiterit ventris diſſectionem admittat. Viardel, cu itidem ultima hæc ſententia placet, expectare jube Chirurgum, donec parturiens fatis ceſſerit, ne nimi crudelis videatur. Quorſum etiam Dionis, in nuper e dita Chirurgia, nondum, quantum conſtat, latinitat donata, inclinat.

§ XVII. Omnes ſuos anteceſſores ſtyli acrimonia ſuperat Franc. Mauriceau, dum lib. 3, Opt. gravid. & parient. remed. cap. 17, p. 356, negotium hoc *tyrannidem* & *modum barbaricum*, cap. 33, p. 412, *immodicam inhumanitatem* atque *crudelitatem* vocat, hinc p. 413, 414 &c. ullam unquam fœminam, hoc modo tractatam mortem effugiſſe negat; ipſam operationem *praxin perditam, periculoſam* atque *ſicariorum* proclamat; Rouſſetum autem, & ipſi adſtipulantes, *homines audaces, ſingulares*, & *exiguæ rationis* ſalutat, hiſtoriasque omne productas, meras *fabulas* eſſe, nec aliud fundamentum quam *rabiem & fallacias* ſcribentium habere, audaciſſime aſſerit.

§ XIIX. Ne vero adverſarii nobile ejusmod remedium absque ratione impugnare videantur, no pauca argumenta dictis ſuis annectunt, quorum potior allegabimus. Nimirum putant: (1) afflictam patienter non ampliùs affligendam, doloresque partus novis, e ſolutione continui partium valde ſenſibilium proveni entibus, augendos, aut vires, ex laboribus parien debilitatas, ulterius proſternendas eſſe. (2) Non ſin periculo, præter integumenta communia, muſculo quoque & peritonæum, uterumque ipſum temere di ſecari, & (3) ampliſſimum vulnus ipſis infligi; cum tal vulnera (4) non ſolum dolor ingens, & convulſione

mo

motusque convulſivi; ſed (5) hæmorrhagia etiam largiſſima neceſſario excipiant. His addunt (6) ſanguinem in uterum & pelvim fluere, ibique putrescendo viſcera corrumpere. (7) Viſcera abdominis, ex aëre admiſſo, calore & tono privari. (8) Uterum vel ad conceptionem, vel ad conceptum fœtum excludendum, ineptum reddi, ideoque repetitam ſectionem efflagitare. (9) Ob peritonæum diſſectum, herniæ inteſtinali atque uterinæ fores pandi. (10) Ex incertitudine boni eventus, contumeliis exponi Chirurgum, idque merito, ſi, trucidata matre, nihilominus embryo mortuus repertus fuerit; quem tamen vel natura ipſa expellere, vel embryulcus per oſtium uteri integrum diſſectumque educere potuiſſet.

§ XIX. Ut valor harum objectionum patefiat, earumque refutationem operatio ipſa largiatur, lubet eam cum ſuis encheiriſibus, ex Rouſſeto, ejusque epitomatore Sculteto, Rod. a Caſtro, Fieno, Scipione Mercurio, Roonhuyſen, Solingenio, Purmanno & Cypriano recenſere, cognitaque ejus *poſſibilitate*, *neceſſitate* atque *utilitate*, diſpicere, an ea porro commendanda, an vero penitus repudianda ſit.

§ XX. Invocato igitur ab initio Deo, omnis ſalutis fonte, autoreque ſummo medicinæ, ut opus bene evenire jubeat, mulieri animus addendus, ne inani timore ſe excruciet, ſed potius Deo confiſa, recte de auxilio ſperet. Hinc ut alvum & veſicam exoneret admonenda, ſique ipſa, ob fœtum incumbentem, iſtud præſtare nequiverit, arte eſt juvanda.

§ XXI. Poſt hæc ὑςερότομος, *inſtrumenta*, ad operationem neceſſaria, in promtu habeat. Sunt ea partim

C *animata*,

animata, manus ſcilicet intrepida, ſtabilis & ſuſpenſa; deinde etiam unus alterque miniſtrorum, ad nutum magiſtri, quæ neceſſaria videntur, ſine mora ſuppeditantium: partim *inanimata*, organa ſcilicet, actui huic competentia, eaque numero non admodum multa: Primaria ſunt, *tres cultri*, unus mucrone recto, alter parum adunco, & folium lauri referente præditus. Illum enim tenax cutis requirit, hic ad muſculos & mollem uteri ſubſtantiam aptior eſt: ne cuſpis exporrecta, facillimeque penetrans, fœtum lædat. Tertii mucro globulo munitur, quo exiguum foramen, perritonæo atque utero per priores inflictum, tuto ampliatur. Hujus vices forceps recta vel curva, altero ſuo extremo itidem ſphærulam geſtans, ſupplet. Hiſce vulnerantibus telis jungendæ ſpongiæ, in decocto travmatico mollitæ, nec non linteamina mollia complicata, ſicca & liquore apto imbuta, pro ſanguinis ſcilicet fluxu cohibendo; cui inſuper ex pelvi extrahendo, præter ſpongias, ſipho quoque haud parum proderit, poſtmodum durante curatione, pro eluendo utero, ad injectiones neceſſarius futurus. Tandem acu quoque ancipite, filo ex ſerico duplicato inſtructa, opus eſt, cum cannula, qua, in abdomine conſuendo, acus transfigentis cuſpis firmatur. Præſto ſint etiam faſciæ, linamenta, ſtuppæ bene pexæ, ſive lintea carpta, pulvilli adſtringentibus medicamentis reſperſi, balſama, emplaſtra & alia, huic negotio neceſſaria. Quæ tamen omnia non æque conſpectui ægrotæ offerantur, ſed potius abſcondantur, quantum poſſibile, ne tali apparatu illa terreatur.

§. XXII. Movent nonnulli hoc loco quæſtionem: an non ex re quoque futurum ſit, ante operationem

ſecanda

ſecandæ tincturam opii, vel laudanum opiatum propinare, tam ad mitigandum dolorem, quam ad refrænandum ſanguinis fluxum. Opium enim, non tantum ſummum, præcipuum medicamentum hæmorrhagias ſiſtens eſſe, illuſtr. Wedelium, Patronum noſtrum max. in Opiol. teſtari, ſed etiam ejus magiſterium, vulneratæ arteriæ impoſitum, hæmorrhagiam ſiſtere, ex Horſtio, in laudata Opiologia notari legimus. Enimvero, quamvis vulgata & forſan in ſolatium ægrorum, dolorificæ alicui operationi deſtinatorum, excogitata traditio ſit, per *potionem ſomniferam* eos ἀναισθήτους reddi poſſe, imo ſolere: fabulam tamen ejusmodi apud neminem locum invenire, certi ſumus, qui periculum, ex forti narcotico, (leve enim aut mediocre haud ſufficiet) metuendum, ſecum trutinaverit; ne ſcil. a morbo aliisque cauſis debilitata parturiens, per ſomnum, arte factum, ſomni fratri, ut vocatur, morti offeratur. Prudentius igitur ſe gerunt, qui exhibitis cordialibus, a Medico petitis, vires conſervare, proſtratas autem ac deficientes, per interna atque externa refocillare laborant.

§. XXIII. Poſt apparatum inſtrumentorum, eligendus *locus* operationi aptus, *lucidus* ſcilicet & *calidus*: deinde de ſitu parturientis cogitandum eſt. Solingen, lib. cit. p. 349, imponit eam menſæ, ut crura, linteo colligata, inde dependeant: mox indecoram iſtiusmodi poſituram cernens, in lectum eam traducit. Reliqui autores ex viribus judicant, an ſedens, an cubans magis ſecanda ſit. Hinc, ſi vires adhuc conſtantes ſunt, jubent eam ſupra ſpondæ alterutrum limbum ſive parietem ſedere, ut tibiæ propendentes terram attingant. Lumbis ſupponuntur culcitræ, ut venter promineat, caput

autem

autem & ſcapulæ modice reclinantur; non vero, quod inepte a quibusdam promiſcue in omni enixu præcipitur, ut multo decliviorem abdomine locum acquirant: cum pleræque gravidæ, propter anxiam reſpirandi difficultatem, a deſcenſu diaphragmatis, hoc modo impedito, inductam, talem ſitum recuſent; quo longe commodior is eſt, quem alii meticuloſis & non admodum robuſtis laudant, ut totæ in lecto anguſto exporrectæ jaceant, ventre tamen paululum ſublato. Eſt talismodi decubitus ſecanti ſecandæque aptiſſimus & minime corpus fatigans; cum omnes ejus partes quieſcant. Id quoque paſſim experiuntur, quibus adeo debilis conſtitutio obtigit, ut ex venæ ſectione animi deliquio corripiantur, niſi cubaverint, teſte Mercurio, p. 467, qui ſimul ſuadet, ne ægra ex dolore ſeſe moveat, ut pedes & brachia ejus per mulieres robuſtas, animoſas & familiares immota ſerventur, quæ ſimul eam totam ſuſtineant, utque intrepida ſit, animent.

§ XXIV. Hiſce recte conſtitutis, unanimi fere ſcriptorum conſenſu, latus alterutrum abdominis, ſuper *muſculo recto*, ad pollicis unius vel duorum latitudinem a linea candida, ipſique παραλλήλως, inter regionem umbilicalem & pubis eligitur; ea tamen cum circumſpectione, ut, hepate vel ſplene affecto, latus oppoſitum incidatur: ne ſcilicet viſcus, tumore aut alio notabili vitio laborans, tangatur; ſi vero hernia inteſtinalis in inguine adfuerit, ut tunc vulnus in *latere morboſo* fiat, unaque poſtmodum opera læſio nova & antiqua peritonæi ſanentur: cum metus ſit, ne, ſi ſanum latus vulneratur, ægra forſan in utroque latere hernioſa evadat. Enimvero, fruſtra hæc omnia in medium afferri, ex eo patet, quia ſemper

in eo latere ſecandum eſt, in quo fœtus hæret. Hic enim, licet ab initio medium locum in abdomine obſervet, quamdiu ſcil. uterus parvus a lingamentis ſuis in æquilibrio quaſi retinetur, poſtmodum tamen tantum non ſemper in alterum latus inclinat, ut non ſolum inæqualitas ventris oculis cernatur, ſed motus quoque embryonis ibi a gravida ſentiatur. Quod vero muſculos rectos attinet, ex omnibus abdominalibus hi ineptiſſimi ſunt, qui incidantur: cum, propter frequentes inſcriptiones nerveas, vaſaque mammaria & epigaſtrica, doloribus, convulſionibus atque hæmorrhagiæ, præ reliquis, anſam daturi ſint: hæc vero ſymptomata, § XVIII, inter argumenta, partui cæſareo oppoſita legantur. Ut proinde ſecurius *juxta hoſce muſculos*, tres nimirum, vel, pro amplitudine ventris, quatuor pollices latos a linea candida, per ſubſtantiam muſculorum obliquorum & transverſi extenuatam, maximaque ex parte ibi tendinoſam, ſectio fiat. Deinde ſuperfluum eſt, viſceribus utriusque hypochondrii hoc loco proſpicere, quæ interpoſitus uterus longiſſime ab inciſionis loco removet. Herniæ autem, quocunque in latere ea ſita fuerit, nihil ſolatii ex noſtra operatione promittitur: cum nemo temere amplum gravidæ abdomen, horrendo & plane obliquo vulnere, ex regione umbilicali trans hypogaſtrium ad inguen excurrente, ſine diſſectione vaſorum epigaſtricorum, ad rectum muſculum euntium, ſauciaverit.

§ XXV. Haud multo majoris momenti eſt eorum ſolicitudo, qui trementis ſuæ manus conſcii, ut aberrationem cultri a loco electo evitent, atramento lineam perpendicularem ventri inſcribunt, eique tres vel quatuor lineolas transverſales illinunt, ut ope earum, in fine

operationis, gaſtroraphia recta & accurata fiat, ſuturæque puncta ſibi invicem probe reſpondeant: quem in finem non prius cultrum ſtringunt, quam lineæ exſiccatæ fuerint, ne forſan deleantur. Sed videtur ejusmodi ſedulitas vetulæ magis, quam Chirurgo competere: utpote cujus manum plane ineptam huic operationi judicaremus, ſi neſciret cutem, ad bonæ ſpithamæ longitudinem, absque regula diffindere; cum longe major ejus titubantia circa uterum metuenda eſſet, in quo cultri viam depingere non licet. Deinde quis ſperaret, veſtigium linearum manſurum eſſe, ubi & cruenta manus operantis, & fœtus cum ſecundinis protractus, & ſpongia decocto traumatico madens, omnia delent: aut, ſi omnino durabiles notæ eſſent, tamen eas in cute, ab utero expanſa, & poſt evacuationem ejus plane collapſa & corrugata, prioris connexionis indicia conſuenti exhibituras eſſe, incredibile videtur.

§ XXVI. Diſcinditur itaque cutis *cultro primo*, a manu libera promptaque ducto, usque ad pinguedinem, pro habitu vel magnitudine matris ac infantis, haud infra dimidii, ſed vel ad integri potius pedis longitudinem, ſi embryo major fuerit. Præſtat enim, quod in omnibus operationibus chirurgicis, quoties corpus aliquod magnum extrahendum eſt, obſervari debet, oſtium paulo largius, quam anguſtius facere, ut fœtus commode & absque omni violentia per iſtud extrahi poſſit: cum anguſtioris vulneris labia, multis modis preſſa atque diſtracta, gravibus ſymptomatibus anſam præbeant; notante Cypriano, in Epiſtola de fœtu, per tub. Fallop. extr.

§ XXVII. Pinguedinem excipiunt muſculi, propter extenſionem valde graciles, ſuſpenſa manu per

ſecun-

ſecundum cultrum dividendi; ita quidem ut, ſimulac vulnuſculum peritonæo inflictum fuerit, *culter tertius* cum globulo ingeratur, eoque ſurſum deorſumque acto, quantum opus eſt, ipſum amplietur. Hoc enim pacto uteri corpus, ſub peritonæo prætumidum ſeſe offerens, nullum detrimentum accipiet: ſive, quod plerumque fit, inteſtinis incumbens, ea abſcondat; ſive, rariori exemplo, ab iis abſconditus, poſt eorum detruſionem ad alterutrum latus, in apricum veniat. Sauciatur tunc ſecundo cultro, & quidem admodum providenter, ob craſſitiem, in diverſis ſubjectis diverſiſſimam; præſtatque bis terve ictum repetere, quam una vice, ex falſa excedentis ejus habitus fiducia, cum Molinetto, ferrum profundius immergendo, fœtum vulnerare: id quod minime continget, ſi ea, qua peritonæum diſſectum fuit ratione, etiam uterus aperietur.

§ XXVIII. Initium ſectionis erit in ea regione, quæ maxime protuberat, neutiquam vero, ut a nonnullis præcipi legimus, *in ſummo ipſius*, cultrum inde deorſum ducendo. Fundus enim obtinet ſupremum locum, eſtque ob placentam, utplurimum ipſi adnatam, craſiſſimus & ſanguine maxime repletus. Obſcurus igitur videtur Mercurius, quando l. c. p. 468, inciſionem a ſuperiori matricis loco inchoare, & paululum in obliquum ducere jubet, ne ſcilicet, quæ illius ratio eſt, *teſticuli*, & *ductus ſpermatici* lædantur, miramurque doctiſſimum Welſchium, in additamentis inſignem hunc autoris lapſum non correxiſſe: cum ab omni utero teſticuli prorſus remoti, tubæ autem, (ſi per has allegatos ductus ſpermaticos intelligit) fundo proximæ ſint, & citius a ſectione obliqua, quam recta cervicemque

verſus

verſus excurrente, lædi queant: in gravidis autem partuique propinquis, uteri fundus & corpus adeo ſupra limites tubarum atque ovariorum aſſurgat, ut hiſce nullum ab *ὑςερoτόμȣ* cultro periculum metuendum ſit. Quod ſatis bene quidem ex fig. 1, Tab. I, de formato fœtu Hieronymi Fabricii, ſed ex Tab. 4, Novi lum. obſtetric. cap. 7, Henric. a Deventer clariſſime patet, teſtimonioque D. D. Præſidis, qui non minus publice in theatro, quam in domibus privatis, gravidas aperuit, roboratur.

§ XXIX. Sectione rite peracta, comprimunt nonnulli leniter abdomen, ſperantes fore, ut fœtus inſtar nuclei, ex ceraſo maturo, digitisque preſſo, proſilientis, ejiciatur: ſed conceptam ſpem, inteſtina, ex ventre anguſtato tunc cum impetu per apertam portam erumpentia, inanem reddunt, operationemque valde turbant. Studebit igitur Chirurgus potius, manibus adſtantium iſta in ſuo loco continere, nullaque interpoſita mora, fœtum, a membranis ſuis liberatum, cum particula funiculi diſſecti, &, præſente adhuc vita, ligati, eximere, obſtetricique curandum tradere, mox placentam, per reſiduum funiculi blande attractum, digitis ab utero deglubere, & ſpongiis, decocto herbarum balſamicarum tepido immerſis, iterumque expreſſis, cruorem ex cavitate uteri & pelvi haurire, hinc labia vulneris, per unum alterumque horæ momentum iisdem fota, obiterque abſterſa, & largiter balſamo de Copaiba oblita, molliter ad ſe invicem adducere.

§ XXX. Fit iſtud facili negotio; quatenus uterus evacuatus inſtar marſupii collabitur, & in magnas rugas complicatur, quæ, ubi funiculus a placenta abruptus eſt,

non

non ſolum hujus, ab uteri ſubſtantia abſtrahendæ, dignotionem nonnunquam difficilem reddunt, anſamque ineptis obſtetricibus præbent, ejus loco, extractionem matricis moliri; ſed etiam lochiorum exitum ſubinde remorantur, ut illa, in grumos coagulata, non ſine acerbis doloribus a puerperis, quamdiu in lecto jacent, exprimantur, cum ex deambulantibus ſæpe ſponte & ſine ſenſu excidant, ovum gallinæ, contractumque pugnum haud raro æquantes. Pereunt autem dictæ plicæ ſenſim, dum uterus, indies magis magisque in ſeipſum abiens, minor fit, ſanguinemque, novem menſium ſpatio intra ſuam ſubſtantiam collectum, ſub lochiorum nomine exprimendo, intra octo, novem vel decem dies, ad priſtinam molem redire ſolet. Decreſcit tunc ſimul & contrahitur vulnus ſponte, & a natura ipſa conglutinatur.

§ XXXI. Quod ſi vero contra ſententiam evenerit, quod D. D. Lankiſchio, celebri apud Zitavienſes Medico, obtigiſſe, ab excellentiſſ. D. D. Vatero, in Diſſ. de Partu Cæſareo, § XXIII relatum legimus, ut fœtus mortuus, verſus orificium uteri prolapſus, & adeo pelvi incuneatus ſit, ut nudis manibus inde eximi nequeat, tunc, præeunte egregio exemplo, ferro ſcindente trahenteque munitis evellendus. Vivus autem, qui forſan proprio corporis ſui motu operationem juvabit, faſciis, artubus injectis, extrahendus eſt, prout ſcilicet ſitus ejus vitioſus & ſagacitas Chirurgi conſilium in arena, ſtante pede capiendum, ſuppeditabunt, cum omnes caſus atque encheiriſes prævidere ac docere impoſſibile ſit.

§ XXXII. Cum in antecedentibus decoctorum travmaticorum mentionem fecerimus, quæ paſſim pro

eluendo fovendoque utero præſcripta legimus, paucis quoque ea hic attingenda ſunt. Nimirum, ſalva aliorum autoritate, nullo modo ea probamus, quæ uteri internis parietibus admovenda, ex adſtringentibus & mucilaginoſis acribusque, biſtorta ſcilicet, tormentilla, plantagine, vinca, ſymphyto, guajaco, ſaſſafras, hyſſopo, ruta ſimilibusque, in vino rubro coctis parantur; cum nil minus ibi indicetur, quam locum, per placentæ abruptionem vulneratum, ſpiculis ſalinis & tartareis irritare, ac reliquæ cavitatis poros, per quos lochia ſtillare debent, occludere. Præſtant potius blanda abſtergentia & amara, balſamicis terreisque miſta, carduus benedictus, centaurium minus, ſcordium, veronica, millefolium, hypericum, agrimonia, betonica, ſcabioſa &c. in aqua ſimplici coquenda.

§ XXXIII. Reſtat vulnus abdominis, quod equidem non æque ſutura dolorifica per acum indigere videtur; ſiquidem, quod de utero diximus, etiam hic locum habet, ut cutis & ſubjectarum partium fibræ, remoto fœtu extenſore, motu ſuo tonico, in ſeipſas & ad priorem conſiſtentiam redeant, ſatisque ſit, per emplaſtri, ex pice & reſinis confecti, ſegmenta, pollicem lata, ſpithamamque longa & decuſſatim agglutinata, cutis extrema contrahere, emplaſtroque defenſivo Vigonis & ſacculo herbaceo, vino calido inebriato tecta, per faſciam latam firmare. Quod ſi vero hæc ad inteſtina, intus cohibenda, minus ſuffecerint, quovis tempore ſuturis adhuc locus eſt, eisque, non ut quibusdam placet, in forma crucis, ſed ſimplici ratione, tribus vel quatuor in locis injiciendis, nulla tunc lineolarum, dudum deletarum, habita ratione; modo caveatur, ne inteſtinum

ileum,

ileum, vulneri admodum vicinum, acu feriatur. Relinquuntur hoc pacto inter connexiones ſpatia, per quæ exitum invenit, ſi quid ex abdomine a natura expellendum eſt. Labiis illinitur balſamum de Capaiba, aſpergiturque pulvis, in ſupra laudata diſſertatione excell. Vateri, ex glutinis ſcriniarior. rad. conſolid. major. gumm. arab. tragacanth. alb. ā ℥ß, opii toſti ʒß, Maſtich. ℥j compoſitum, omiſſo pulvere ſympathetico; utpote reliquorum ingredientium naturæ adverſo, cui ſarcocollam & ſanguinem draconis ſurrogamus. Ambitus exterior ungitur 🝆 ♀ri fœtido, quo tumori, dolori, inflammationi, aliisque metuendis malis tuto obviam itur.

§ XXXIV. Reliqua, vulneratæ puerperæ reſtitutionem attinentia, ſpectabimus in ſequentibus. Fuimus autem in hactenus adductis prolixiores, ut appareret, operationem hanc jure inter *artificioſas in* definitione numerari. Quamvis enim non ſolum embryulciæ, utpote in occulto, manibus oculatis merito dicendis, opus ſuum perficienti, ſed etiam lithotomiæ, trypanationi, nonnullisque aliis, ratione ſudorifici laboris & multitudinis inſtrumentorum cedat; ipſa tamen in Chirurgo, præter cognitionem ſubjecti *ut quo* & manus firmitudinem, § XII & XXV laudatam, animum ſimul intrepidum Deoque fidentem, & viſum clarum requirit, quibus divinaque benedictione auxiliantibus, negotium adeo feliciter ſuccedet, ut adverſariorum argumenta, perſpecta jam incomparabilis remedii indole, nullo negotio refutari queant.

§ XXXV. Quod enim objectionum, § XVIII recenſitarum, primam attinet, cum bimembris ſit, gemellam etiam reſponſionem poſcit. Nimirum, cum vix ulla

operatio chirurgica absque moleſta patientium perceptione abſolvatur; haud putant earum artifices, ſe iſtas affligere, quibus, a morbis gravibus afflictis, per dolorifica remedia ſanitatem reddunt vitamque ſervant, cum dulcedo finis aſperitatem remediorum emollire ſoleat. Neque etiam, ubi vires dudum ſunt exhauſtæ, quicquam moliuntur, aut talem fœminam attingunt, cui nec deſiderium vitalem fœtum oſculandi, nec, hoc defuncto, amor vitæ longioris ſufficiens, ejusmodi tormenta ſuſtinendi, robur generat. Tolerant enim omnino quidem nomen crudelium, modo ſimul gratioſi audiant, nec deſperatis, contra præceptum Coi, medicinam adhibere obligentur.

§ XXXVI. Alterum argumentum, vulnera abdominis concernens, eos parum movet, qui toties, non ſolum cutem, muſculos & peritonæum, herniæ ſcrotalis incarceratæ curandæ cauſa, in inguine & hypogaſtrio diſſecari, ſed horrendis etiam hiatibus, a corporibus ſecantibus, contundentibus & lacerantibus, absque ſanitatis vel vitæ jactura, deformari unquam viderunt, docuitque experientia Rodericum a Caſtro, Bartholinum multosque alios, uterum ipſum exulcerari, & ab oſſibus fœtus corrupti perforari, imo ſubinde, fruſtra dubitante Solingenio, l. c. p. 348, eundem plane exſcindi; quod & teſtatur Schenckius, Zachias, Paræus, Ephemerides Germanorum, Bonetus &c. idemque etiam, juſſu D. D. Præſidis, cum totus uterus per ſarcoma extra orificium externum protractus hæreret, absque ullo ſenſibili individui damno factum fuiſſe, programma inaugurale, Diſſertationi, ſub ejus præſidio de *Vaginæ uteri in gravida prolapſu*, a D. D. Wincklero editæ præmiſſum, & manca atque

iniquæ

iniquæ relationi Eph. Germ. Dec. 2, ann. 9, Obſ. 94, oppoſitum docet.

§ XXXVII. Nec eſt, quod tertio loco adducta magnitudo vulneris nos terreat, quam, poſt ablatum fœtum, in anguſtiſſimos terminos contrahi, § XXX finis docuit. De doloribus, numero quarto oppoſitis, dudum ſupra egimus, quos conceptu, de iis ante operationem formato, longe minores fuiſſe, propria ſectarum confeſſio confirmavit. Sic ſpaſmos & motus convulſivos magis a cauſa, partes nervoſas irritante, ſolutionemque continui intentante, quam eas celeriter ac prorſus diſſecante oriri, ex pathologicis diſcimus. Nec ſatis bene Hippocratis aphor. 27, ſ. 6, de ſuppuratis atque hydropicis uſtis aut ſectis, huc trahitur, cum ibi mors non a vulnerata pleura læſoque peritonæo, ſed pure aut aqua confertim effluente derivetur.

§ XXXVIII. Hæmorrhagia, quæ quintum inter argumenta locum obtinet, illis forſan metum periculi incutiet, qui cum Solingenio, p. 337, non amplitudinem vulneris, ſed ſubitaneam & magnam ſanguinis profuſionem, mortem inferre cenſent. Enimvero, ex abdominis ſubſtantia non multum profundi poteſt, cum exigui vaſorum ramuli, iique compreſſi feriantur, modo, muſculo recto intacto relicto, vulnus non nimis verſus inferiora extendatur. In utero autem coacervatus cruor ita excretioni deſtinatus eſt, ut, poſt ablationem embryonis, ipſi plane moleſtus ac præternaturalis noxiusque evadat, niſi ocyſſime expellatur.

§ XXXIX. Si porro adverſarii, numero ſexto, cruorem non ſolum in uteri cavitatem, ex qua per oſtium ejus, cujuscunque magnitudinis aut figuræ id fuerit, exi-

tum invenire poteſt, ſed ſimul etiam in pelvim ruere, ibique, ob denegatum egreſſum, putredine concepta, viſceribus nocere aſſerunt, tunc eos ad methodum medendi vulnerum, aliis occaſionibus abdomini inflictorum, ablegabimus; ut ſcilicet, ſi ſpongiæ bibulæ, antequam hiatus ſuturis aut emplaſtris clauditur, eum non abſtulerint, reliquus, ope ſiphonis, per ſpatia relicta extrahatur, aut a natura ipſa temporis progreſſu expellatur.

§ XL. Septimum argumentum leve admodum eſt: cum operatio in loco calefacto fiat, ſine temporis diſpendio, & aër tepidus vix aliud viſcus, præter uterum, ac gyrum unum alterumque ilei tangere queat, dum manus operantis & miniſtrorum eum arcent.

§ XLI. Octavi primum membrum ridiculum videtur; quaſi vero præſtet, miſere cum prole mori, quam propriam fœtusque vitam conſervando, incertæ ſterilitatis periculum ſubire: cum tot fæminæ, poſt conſtanter toleratum partum cæſareum, ſecundum naturæ leges feliciter pepererint; nec tamen, quod alterum objectionis membrum innuit, iterata Chirurgi manu opus habuerint, nec earum exempla deſint, quæ utramque pariendi rationem expertæ, per latus apertum potius, quam per anguſta genitalia matres fieri præoptaverint.

§ XLII. Peritonæum diſſectum herniis occaſionem dare poſſe, recte quidem nona objectio ſtatuit, confirmatque id ipſum le Cours d'Operations de Chirurgie Dionis: quod vero illæ exſectionis fœtus inevitabiles pediſſequæ exiſtant, nondum ex autorum obſervatione liquet, eritque nulla fœmina tam amens, ut ideo mori malit fœtumque perdere, ne ſe per faſciam mollem ab

hernia,

hernia, ſi ea *forſan aliquando* ipſi ingrueret, defendere opus habeat.

§ XLIII. Ultimum argumentum partim *impium* eſt, partim *ineptum*. Prius ex eo apparet, quod Chirurgum majorem æſtimationis ſuæ, quam ſalutis duorum hominum rationem habere jubeat. Minime igitur cordatus vir movebitur, ſi ab ignaris & malitioſis perverſa judicia experietur: quia conſcia mens recti, famæ mendacia, cum Ovidio, Faſtor. l. 1, ridet, &, ſecundum Ciceronis ep. 4, lib. 6, famil. conſcientia *rectæ voluntatis* maxima conſolatio rerum incommodarum eſt. Illis vero malevolis, qui non ad *bonum finem*, quem quilibet vir honeſtus actionum ſuarum regulam habere ſolet, ſed tantum ad eventum reſpiciunt, judicium Plinii, ex lib. 5, epiſt. ult. regeri decet: *Eſt omnino iniquum, ſed uſu receptum, quod honeſta conſilia vel turpia, prout male vel proſpere cadunt, ita vel probantur* vel *reprehenduntur*; ſententiam autem ejusmodi naſutis cenſoribus dicit Ovidius, Epiſtol. 2,

Exitus acta probat: careat ſucceſſibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

§ XLIV. Tandem abſonum prorſus eſt, ſemper, neglecta *extractione fœtus per latus*, totum negotium obſtetricis manibus, aut embryulci uncis committere velle: quaſi vero horum ars non ſemper prius conſulatur, & tunc demum, ubi iſta inanis deprehenditur, venter incidatur. Nunquam autem Solingenium, juratum partus cæſarei hoſtem, imitabimur, ſive ſecundum p. 340, cit. lib. ſuis digitis, adhibita ſumma virium contentione, orificium internum uteri diſtraxerit, ut, quod ſæpenumero fieri ſcribit, id rumpatur & fœtui extrahendo ſatis pateat; ſive ſecundum pag. 339, cultro, Tab. VI, fig. 13,

cum

cum cuſpide obtuſo delineato, dictum os diſſecare, digitisque porro dilacerare non erubuerit. Nihil enim immanius nihilque magis cruciatibus plenum, quam ejusmodi encheiriſi excogitari poteſt. Ut proinde, quod ipſe ingenue fatetur, afflictiſſimæ mulieres, ex læſa patientia in furorem verſæ, unguibus, in ejusmodi tortorem directis, eum injuriis & maledictionibus effuſis abominentur, proſequanturque. Quibus omnibus non obſtantibus, nihilominus tamen magnus illi χειρῶναξ, quaſi re bene geſta, glorioſo ἐπινικίῳ hanc ſuam carnificinam cæſareo partu meliorem proclamare non veretur.

§ XLV. Enimvero ſtabit egregiæ hujus operationis, ceu a Deo datæ vitæ conſervatricis, dignitas firma, cum eam non ſolum *poſſibilem* atque *ſumme utilem* eſſe per hactenus dicta evicerimus, ſed etiam abſolutam ejus neceſſitatem per dicenda demonſtraturi ſimus.

§ XLVI. Eſt iſta neceſſitas alia *moralis*, alia *phyſica*. *Prior* tangit conſcientiam cum gravidæ, tum Chirurgi: ne illa, acerbitatem dolorum evitatura, ſectionem ſuſtinere recuſet; hic vero vel jacturam famæ, ex dubio eventu intempeſtive metuens, vel ex *ignorantia proceſſus* & ἀναισχυντία (propter quas tam raro heroicas operationes a noſtratibus exerceri dolendum eſt) arti & ἱκανότητι ſuæ turpiter diffidens, negotium ſubterfugiat & tamdiu differat, donec occaſione in vivo corpore agendi præterlapſa, nil niſi laniena cadaveris relinquatur. Intereſt quoque non minus reipublicæ præſidibus, ut cives conſerventur augeanturque, quam ſubditorum ſecuritati & tranquillitati, ut de legitimo ſucceſſore regente ipſis proſpiciatur, & hoc modo, (quod argumentum maxime Rouſſetus ſect. 2, cap. 2, urget) plurima mala arceantur.

tur. Fallitur igitur ſine dubio Solingenius inſigniter, quando p. 340, Hollandiæ magiſtratum ejusmodi operationem, ſi eam vel maxime ægra expeteret, haud permiſſurum eſſe, ceu rem certiſſimam aſſerit: cum prudentiſſimorum Statuum cura ſanitatis ſuorum, ingentibus ſumtibus hactenus teſtata, prorſus contrarium credere jubeat. Id quod ipſe conterraneus Solingenii Blancardus, rectius informatus, Lib. 2, cap. 22, chirurg. confirmat, dum vix excuſari poſſe ſcribit, permittere, ut ex negligentia & intermiſſione hujus ſectionis, vel mater, vel fœtus, vel ambo intereant.

§ XLVII. Ex *phyſicis* mater æque ac fœtus occaſionem de extremo hoc remedio cogitandi præbent, quando cauſæ, alias partum difficilem reddentes, nunc in majori gradu ſeſe offerunt. Haud repetemus ex pathologia, quæ de matris ætate nimis tenera aut provectiori, oſſium, pelvim conſtituentium, imprimis vero coccygis rigiditate ac nimia verſus anteriora incurvatione, vulvæ item coalitu, tumoribus, &c. ſimiliter de fœtus magnitudine, pluralitate, monſtroſa totius vel partium quarundam conformatione, ſitu perverſo, diuturniori commoratione in tuba, mutatione in lapidem, nec non de mola aliisque huc pertinentibus dici poſſent, ſi inſtituti noſtri eſſet ea, quæ paſſim in practicis leguntur, huc trahere: cum nobis ſatis ſit dixiſſe, tunc demum partum cæſareum *indicari*, quando reliqua omnia artis præſidia non ſufficiunt, ut mater & fœtus ſimul, vel hic aut illa ſeorſim in vivis ſerventur. Sicut ex adverſo quædam contra indicantia, animus ſcil. fœminæ nimis timidus, corpuſculum tenerum, vires per morbos aut diuturnos partus labores, nec non tormenta, ab obſtetrice imprudente illata, proſtratæ, eundem prorſus prohibent, nec aliquid temere tentari ſinunt, quamdiu,

 per

per alia remedia interna atque externa miſeræ afflictæ ſuccurri, eaque ab ulteriori afflictione præſervari poteſt.

§ XLVIII. Hiſce conditionibus & circumſtantiis probe obſervatis, haud facile error circa perſonam, modumque procedendi committetur, aut dubio prorſusque illætabili, de eventu curationis, prognoſtico locus relinquetur. Quin potius de reditu ad optatam valetudinem firma fiducia poterit concipi; modo animus adhibeatur, ut uterus, quoad internam ſuam faciem, quia ad externam aditus Chirurgo præcluſus eſt, per injectiones commodas quotidie bis terve eluatur, purgetur atque roboretur: ut & lochia decenter procedant, & ſanies, circa vulnus hærens, blande abſtergatur; ne, per moram acredinem concipiens, ſanationem impediat, uterique ſubſtantiam rodat.

§ XLIX. De materia injectionum, præter ea, quæ § XXXII adduximus, nil magnopere monemus, niſi quod decocto a nonnullis, non ſine fructu, olea quædam infuſa, momordicæ ſcilicet, roſarum, lilior. alb. hyperici ſimpl. & compoſ. in quibus balſamum de Capaiba, vel modicum elemi, nec non terebinthinæ venetæ vel cypriæ reſolutum eſt, admiſcentur. Inſtrumentum eſt ſipho, cuſpidem ad metrenchytæ figuram concinnatam habens, ut oſtio ſine læſione, ex attritu duriori metuenda, ingeri queat. Qui tantum quavis vice utero injicere jubent, quantum is capere poteſt, valde modicam & vix unciam dimidiam æquantem quantitatem nobis præcipere videntur: ne forſan viſceris ſubſtantia, in contractionis molimine occupata impediatur, aut conniventia labia vulneris diſtrahantur, & medicamentum in cavitatem abdominis tranſeat. Blandiſſime igitur embolus in canalem imprimendus eſt, & ſedulo obſervandum, an portio liquoris ex genitalibus refluat, quæ Chirurgum, ut quieſcat, admonet.

§ L.

§ L. Ne oſtium internum juſto citius claudatur, intrudunt, Rouſſetum ſequentes, peſſaria cava ex cera, plumbo, vel auro confecta; quibus alii eburnea vel cornea præferunt; ut excernenda & ingerenda apertam portam habeant. Sed non omnes ejusmodi inſtrumenta diu tolerare queunt, quin tandem præ dolore ea excutiant; nec adeo magna eorum neceſſitas ſemper urget, ubi natura ipſa de via lochiorum libera conſervanda ſolicita eſt, modo adſtantes aëris frigidi admiſſionem præcaverint. Externum vulnus non indiget peculiari apparatu, præ aliis partium mollium ſolutionibus, protrahiturque ejus conſolidatio data opera, minimum circa inferius extremum, in quod non inepte cannula quoque inſeritur, ne labia coeant, ſed pelvis per ea expurgari queat.

§ LI. Majorem attentionem ipſa ægra præſtolatur. Cum enim omnes puerperæ in vulneratarum ordine ſtent, & paucæ earum febrifugis, cordialibus & antiſpasmodicis medicamentis carere queant, multo magis per cultrum matres factæ, ab imminentibus inſultibus febrilibus atque ſpaſmis, quos doloris, vigiliarum, anorexiæ, &c. cauſæ, conatusque naturæ, excretionem moleſtæ alicujus materiæ intendentis, ciere ſolent, defendendæ, ſique illi jam ſupervenerint, liberandæ erunt. Laudabimus, hunc in finem, ex multis pauca, & ex ſimplicioribus quidem, lap. bezoar utrumque, oculos cancror. unicornu verum ac foſſile, ebur, dentem hippopotami, cornu alces & cervi, cujusque gelatinam. Hinc ex magis vel minus compoſitis ♁ diaphoret. ♂tiale, ♃le, bez. minerale, ☿ diaphoret. pulv. Marchionis, bezoardic. Wed. maj. & minoris apparatus, Sennerti, ſpecific. cephalic. Michaelis, ſpecies diamargaritων, de gemmis, de hyacintho, cordiales temperatas, ℞am. bezoard. M.S. eſſentiam theriacalem, ſuccini, caſto-

caſtorei, &c. de quibus elegantiſſimus locus in amœnit. Wedelianis, p. 411 legi poteſt. Nec anodynorum uſus hoc loco negligendus eſt, ex quibus theriaca cœleſtis, panacea Wildeganſiana, & ſimilia optima cenſenda videntur.

§ LII. Hiſce omnibus autem nihil proficiemus, niſi exactam diætæ rationem habuerimus. In vitali, aër ſit moderate calidus, frigus omne ut canis & anguis vitetur. Ut vero puerperis & ſauciis nihil magis noxium eſt, quam frigus, ita hoc caſu caliditas quoque maxime attendenda, ne modum excedat, aërque fervens inſpiratus humores fundendo, turbas & dolorem capitis excitet, ſudoreque nimio & ſiti ægram debilitet. In naturali, cibus ſit εὔπεπτος καὶ εὔχυμος, vitenturque contra ea acria, nimis ſalſa, acida, flatulenta & fermentationibus nimis apta: ut proinde panem ἄζυμον, ad aliquot dies, iſti domeſtico vulgo dicto, præferamus. Huic jungenda gallinarum juſcula, cinamomo & croco parum alterata, ova ſorbilia item & ſimilia tenera alimenta. Potus ſit cereviſia bene defæcata. A vino, præcipue in principio, eſt abſtinendum. In animali prodeſt quies, ut vulneratæ partes conſolidentur. Alvus ingeſtis reſpondeat, ſin minus fecerit, ſtimulanda ſuppoſitoriis, vel clyſtere ex herbis emollientibus & butyro, vel, ut Rouſſeto placet, ſaccharo rubro, diapruno ſimpl. unguento potabili, oleo roſaceo, amygdalor. dulc. cum gallinæ jure pingui parato. Gaudeat præterea, vitam per Dei gratiam & manum artificis ſervatam eſſe, ſed ſine riſu, auſcultetque magis colloquia amicarum, de rebus jucundis inſtituta, quam ut ipſa multum loquendo ſe fatiget, humoreſque inquietet. Hinc ira quoque & terror una cum triſtitia exulent.

D. S. L. H. E. G. J. S. A.